PALAESTRA




1932

N. 7

INDEX RERUM NUM. 7:

In tegumento: CHRISTUS DOCENS

En quem Christi Natalibus destinavi fasciculi Palaestrae prima picta pagina repraesentat antiquissimam Christi statuam marmoream, quae nunc in Museo Vaticano adservatur: docti tertio eam ortam contendunt saeculo p. Chr. n. Videtis illic iuvenem sedentem manuque — ut docentium est mos — auditorum attentionem figentem et, ut quae disserat, penitus animo haereant gestu quodammodo inculcantem: magistrum profecto ex cathedra docentem dixeris, nisi vultus decor ac iuvenilis corporis habitus a magistri gravitate abhorreant. Neque omnino coniectura nostra nos fallit: prototypon enim huius statuae in philosophorum graecorum quaerendum est imaginibus, prout religio christiana Graecorum continuat philosophiam. Cui evangeliorum debemus doctrinam, iure merito docens fingebatur marmore. Ergo nihil obstat, quominus statuam hanc interpretemur Christi iuvenis imaginem disputantis in doctorum conventu suasque exponentis rationes, quae tantam sapientum Iudaeorum movebant admirationem, ut dicit Lucas (II 47): „Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius.“



NATALIA CHRISTI

Olim in Polonia iuvenes studiosi quotannis dies festos (ut Natalia Christi et Bacchanalia) obibant non solum cum dulci iubilo, sed etiam condiscipulorum parentumque gratiam demerebant repraesentando ‘comoediam’ hunc in finem a magistro suo compositam. In Iesuitarum scholis comoediae hae Salvatoris eiusque Sanctorum dicta ac gesta in auditorum revocabant animum. Talem comoediam studiosi Collegii Calissiensis Soc. Iesu anno domini 1715 in scaena agebant: videtis illic studiosos huius mundi illecebris implicatos ac varia sectantes studia — qui viso praesepi Salvatoris omnes mundanas derelinquunt voluptates, ante Christi cunas se prosternunt et suo Domino — ut olim pastores Bethlemitici ac reges Sabaei — servitium spondent. Scilicet scientia est res eximia, sed multo ei praestat virtus: is denique perfectus est iuvenis, qui et scientiam plenam et virtutis cumulum acquisivit.

Fluctuans in Oceano mundi Iuventus, iam Divini amoris Favoniis protrusa, iam Syrenum orbis cantu delinita, tamen impellentibus Divinis Aethesiis, illecebras mundi ad saxeas Christi Nati cunas allidit, et in amore Divino immota haeret: a Suprema Classe in scaenam data Anno Domini 1715.

Inductio prima.

Amor Divinus occurrit Iuventuti studiorum operam navanti, et docet, sic esse sollicitam in studiis, ut nihil remittat de amore Divino. Hic pars promittunt alacres animos, pars haerent perplexi, an tenera aetate praediti, primitias vitae consecrent pietati.

Amor divinus:

Quis vos angor agit? pectus quae cura potenti
Dilaniat morsu? quis vestro corde nutritur
Vermis? et effuso corrodit dente medullas?
Murice non vultus flagrant, velut ante rubebant,
Ast pallore genas maeror superinduit ambas.
Non sic sollicitos animos immergite libris,
Ut tenera Elysias mens non emergat in auras.
Libera sit mens ad libros, non vincula mundi
Illaqueent animos. In proni margine libri
Non ventis iactetur et undis naufraga classis
Flamine tranquillo, sancti trudatur amoris
(praemia distribuit)
Mentis sanctae sint in docta semen arena
Praemia succrescat Divino messis amori.

Auditor primus:

Non nisi nostra calet mens. Relligione beata
A teneris pedibus succumbunt praemia terrae
Auris Relligione nihil comprendit amicum
Est primum studium caelorum discere Numen.

Secundus:

Non sic Aetna calet flammantibus ignibus atque
Incaluere tumentes venae cordis ab aestu
Quo feror in Superos, quo candens pectus anhelat
Effugiet citius de docto culmine Pallas
Quam Superum pennatus amor sine corde volabit.

Studiosus tertius:

Sic invictus amor caeli mea pectora torret
Ut nequeat Martis superari vindice ferro
Et licet extinctus vita sim at pectus amorem
Nutriet ex subiecto sanguine bulliet aestus.

Studiosus quartus:

Non me mille artes cogent, non funera mille
Ingeniosus amor plus didicit artis acutae:
Non mortes animus metuit, non vincula mille;
Est amor ut fatum fortis, qui vincula spernat
Membra licet non verus amor campage ligantur.

Amor Divinus:

Numina quam vestro plaudunt molimine laeta
Litera describet sollertis Palladis ampla
Largior, auratis fundetur mentibus imber
Palladis et sapient iuvenes virtute decori.

Inductio secunda.

Consurgunt aliquot studiosi de vita ad exordia litterarum in amore Divino inchoanda perplexi: reliquis amorem Divinum citra omne dubium comitantibus.

Studiosus primus:

Nescio quis praeter solitum mea viscera torquet
Angor et ambiguo permeat ille fibras.
Morsu, clara dies nec nox dedit atra quietem
Terminus est nullus quo moderatur acer.
Volvor et involvor Stygio miserabilis axe,
Dum fluit ac refluit corde rotante dolor.
Haereo perplexus totus vix arbiter aurae
Vitalis, toties suscitet ira focos.
Quo placidum flamen Divini Numinis almum
Flectis et impulsam fluctibus esse ratem
Non sinis? Exagitata ex omni parte carina
Pars requiem blandam non vehit ulla mihi.
Attrahit aurato cor blandum fune dolosus
Orbis, sed retrahit pulcher amore Deus.
Persuadet pietas Numen, dissuadet acerbus
Horror et intentat mille pericla mihi
At dulcedo trahit. Mundum dimittere magnum
Et Superis castum reddere pectus atrox.

Quid titubas animus; caelum vel suspice terram
  Aut mundo aut soli pectora dando Deo.
Fluctibus in dubiis me cur Palinure relinquis
  Sanctior, ut dubium cymba recidat iter.

Studiosus secundus:

Post Phaëthonteas non sic perplexa ruinas
  Stat Clymene veluti mens mea, maesta riget.
In stygio versor iuvenis miser Ixius axe
  Angor si cessat, qui fuit ante, redit.
Sunt vegetae vires quae mi non Numina suadent,
  Est caelum, quod me subtrahit illecebris.

Studiosus tertius:

Et sine lege mihi laxavit maeror habenas,
  Ut restent nullo frena regenda modo,
Consilium prudens cohibet, nec suada procellas,
  Non generosus iter sanguis adire Dei
Imperat illecebris assuetus, non aula Potentum —
  Me tamen impellit currere Numen iter.
Quo me fata trahunt iuvenem? quo cura propellit
  Ignaro mundum linquere grande nefas?

Quartus:

Plures nos socios perplexo iunge dolori
  Queis mundum socios spernere nonne grave?

(Sequuntur reliqui Amorem Divinum)

Fluctuat aequoreis non nostrum pectus in undis
  Quo Divinus amor flamine pellit, eunt
Naves, nec dubiis tenduntur carbasa ventis
  Felicem tanget nostra carina scopum.
Talibus a sociis classem remeare iuvabit
  Nostram, ne vestros incidat in scopulos.

Inductio tertia.

Supervenit Amor mundi et iuventutem maerore vexatam ad se attrahit varias ei in umbris proponendo illecebras.

Amor mundi:

Quae maeroris atrox frontes obduxit amoenas
  Nubes, praeclaro quae micuere polo?
Quae vos cura nutrit, maeror quis pungit acuto
  Vulnere? quae exanimes sternere tela queunt?

Floride non melius iuvenis vernabit odora
  Aetas quam Hybleis associetur agris?
Mille mihi famulantur risus, gaudia mille
  Si nosses, animum non retineret amor.
Lacryma, sollicitus maeror, dolor exul ab oris
  Orbis, nulla genas perluit hora fugat.
Quid furit immitis mens, qualis vita trahenda?
  Quid micat in iuvenum pectore flamma pia?
Fingitis irrequieti! Dira pericula mundi
  Pingit et insanum non bene sanus amor.
Vulnera sat timidae menti, tremor incutit altus
  Quae blandus nunquam contulit orbis amor.
Ergo iuventa leves florens exclude timores:
  Me sit cura sequi, praevius ibit amor.
Pandere maerenti cordi spectacula praestat.

1. *In umbris repraesentatur genius laetitiae, mensae, convivae, aleae, Bacchus, pocula.*

Cantus.

Adest afflictis
Maerore victis
Genius laetus
Ut pellat fletus.

Bacchus amorem
Fundat, maerorem
Immergat mero
Cordi sincero.

Amor mundi:

  Advocat afflictos laetitiae genius.
Exultat laetus, choreas diducit in horas
  Et tu diu hilares pulchra iuventa dies
Dum pulsat cytharam, sorti praeludit amoenae
  Alea vos Bacchus, dulcia vina vocant.
Nectareo cum vino instillet Bacchus amorem
  Mundi, quem ducem pectore conde tuo.

2. *Horti repraesentantur variis fragrantes floribus.*

Cantus.

Vernat formosus
Hortus iocosus,
Sint belli flores,
Grati odores.

Jam prope Paestanis floret formosior agris
  Hortus et ingenuos vix capit Hybla botros

Hincque verecundo depingit roscida fuco
  Labra rosa, et rubeus se inficit arte pudor.
Lilia si tanges propiore coactus odore
  Ibis, quo mentem lumina ducet amor.
Carpe manus flores vernantia carpe roseta:
  Hoc recreet mentes, floreat ore decor.

3. *Silvae, canes venatici, ursi, lepores, venationes.*

Cantus.

Diana canes,
Ursi immanes
Invitant mentes
Tandem dolentes

Curas fugate,
Cor recreate
Silvis profundis,
Feris iucundis.

Gramen et impexis vos florida frondibus arbor
  Invitat vulpes compta Diana canes.
Alliciunt animos, tandem custode repulso
  Gestit equis canibus bella iuventa feris.
Prodromus implexos curis, venator in amplas
  Impellit silvas, campus amoenus adest.

4. *Urbes, Palatia, Regna. Cantus:*

Mundus favebit
Vestris parebit
Sceptris, si mentes
Caelum spernentes

Sub iura mundi
Cadent iucundi.
Ah! sitis toti
Mundo devoti.

Imperiis urbes, totus famulabitur orbis
  Vestris si mentes sub mea iura cadent.

5. *Proponuntur seniculi qui in castris orbis laeti senuere.*

Cantus.

Canetis laeti
Honore freti,
Fluet ad fata
Vita beata.

Hos iuvenes amor illustri annumeraverat aulae
  In castris iuvenes hi senuere meis.

Ad senium laeti vitam vivetis ahenam
   Lumina nec gemitus nec dolor ora premet.

6. *Insignia honorum: Reges, Duces, Principes. Cantus:*

Ad sceptra nati
Estis vocati
Vittas regales
Clavas Ducales

Honor parabit
.Vobis donabit.
Orbis corona
Se sternet prona.

Aurea vos poscunt diademata sceptraque regum

7. *Duces exercituum ' et exercitus ipsi. Cantus:*

Vocat Bellona:
Ad nutus prona
Vestros et arma
Donat a parma.

Ferro vincetis
Orbem, feretis
Palmas florentes
Fama vigentes.

   Vult Bellona suis annumerare Diis.
Praeduce me totum ferro superabitis orbem
   Conveniet vobis nomen habere Ducum

(Exercitus novus ad uncium pulsum plantae suscitatus)

Iam Bellona meis plantis parentque Gradivus
   Ad pulsum plantae surget et ampla phalanx.

Mars:

Ad chalybem iuvenes genuit Lucina beata
   Non ut percipiat compta iuventa preces,
Longaevis atavis pietas tradenda decora
   Vos Mars invitat, bellica signa vocant.
Palladis in laribus gladios tractare sciatis
   Non globulos sanctos dextera vestra rotet.
Rara viris virtus, quos bellica castra retardant
   Cor studio Martis, non pietate flagret.
Hastatorum equitum nomen praefertis in orbe
   Vos sperat mucro, cassis et arma vacant.
Regis hic Ducis nomen retinebit ad arma
   Martis, vos reliquos nomina summa manent.
Cornipedes fortes alacri conscendite passu
   Et fugiat citius pectora flamma pia.

Iuvenes:

Sollicito tristes nos anxia cura dolore
  Intus agit prohibet lumina maesta sopor.
Blanditur licet alta quies, licet ipse coactis
  Conduco celeres luminibus tenebras
Me tamen obliquis fugientia somnia pennis
  Praetereunt, animo stat dolor, altus amor.

Amor mundi:

Quid cor nutat adhuc vestrum pietate remota?
  Me duce vernantes induet Hybla genas.

Inductio quarta.

Iuvenes illecebris mundi illaqueati nec brevitate vitae proposita possunt ad meliorem revocari frugem.

Studiosus primus:

Pectore de iuvenum perplexo, Munde, triumphas
  Cor retibus blandis illaqueavit amor.
Segnes rumpe moras, mens orbis fulmine prompto
  Ocius insistas passibus, urget amor.
Si saxum pectus fieret mortale libido
  Orbis mollities deliciaeque poli.
Sum tuus, Orbis Amor, totus meus esque vicissim
  Deliciis foveas illecebrisque fave.

Studiosus secundus:

Imbibat intensum candens pupilla soporem
  Quae insomnis longo maesta dolore fuit.
Post liceat mensis Baccho indulgere Voluptae
  Et quas delicias porriget orbis amor.

Intermedium.

Mensa instruitur ad quam indulgent iuvenes Baccho.

Iuvenis primus:

Pocula prima propino tibi pulchro Orbis Amori.
            Deliciae vivant!

Studiosus secundus:

            Vivat et Orbis Amor!

Studiosus tertius:

            Vivat Amor Mundi!

Quartus: Vivat!

Quintus:

At pietas pereat, qua caruisse iuvat!

Studiosus sextus:

Orbis Amor vivat!

Septimus:

Vivat!

Octavus:

Vivantque sodales
Dulces, quos blandus colligit Orbis Amor!

Nonus:

Pocula quot numerant guttas, tot saecula vivat
Orbis Amor, tot nos, tu quoque vive comes!

Decimus:

Vive dies laetos recreentur corda sereno
Cantu, deliciis substituisse placet
Delicias, ut mentis laetae, nulla diei
Hora quiescat, qua non geminetur amor.

Cantus:

Plaudamus laeti
Fortuna freti,
Sonate chori
Nulla maerori

Sacretur hora,
Cor sine mora
Detur amori
Orbis decori.

Vivamus mundo
Nobis iucundo!
Voluptas favet,
Non pectus pavet.

Caeli furores
Nonque rigores
Dum ardet aetas
Cantate laetas.

Cordi amoenas
Mundo serenas
Pulsate lyras
Monstrate miras

Artes in iocis
Dum flagrat focis
Pectus amoris
Cessent doloris.

Maesta momenta
Mandat iuventa
Nostris diebus
Laetemur rebus.

Tempus:

Siccine saecla quotannis laeta putatis adesse?
Aeternum mundo siccine tempus erit?
Ultima restat adhuc plaudentibus hora diei
Post quam infelix vel vita beata manet.
Et licet innumeros vestrum cor viveret annos
Ut nisi momentum saecula mille forent,
Incutiunt trepidantia vobis tempora soles
Aeternos, tamen hos excutit aura levis.
Urat amor mundi, comburat viscera vestra,
Quae pro momento flamma perennis alet.
In nostros usus totum expendamus amorem
Non aetas prohibet, non genus atque decor.
Quae narrantur acuta tremunt figmenta dolores
Non cruciant hanc rem nonne cachinnus habet?
Est pietas aevi aeterni mentita dolose
Aerumnas, vivat, floreat Orbis amor.

Inductio quinta.

Supervenit Divinus amor et inconsultam iuventutem caelo restituit propositis iconibus suis per umbras.

Amor Divinus:

Non sic in vastum lapis irruit, actus hiatum
Ut iuvenes annis in nocitura ruunt.
Heu! quae caecus amor caecos deduxit in antra!
Detinet et longus lumina fessa sopor.
Inconsulta iuventus non sic crede colori
Grato, blanditur saepe colore dolus.
Non sic est perfectus in alta Daedalus arte
Insidias quales percipit orbis amor.
Insidias blandas iuvenes advertite mundi
Et sanctis monitis praecaveatur amor.
Effigies Divinus amor, quas porrigit actae
In barathrum menti, palpebra corque sciat.

1. *Repraesentatur maris procellae, naufragia, cadavera.* Cantus Sirenis:

Non tot guttas mare fundis
Quot procellis pectus tundis,
Quod mersisti,
Elusisti
Ludendo
Mulcendo
Paeanibus.

Orbis quam tumidis agitatur fluctibus aequor
Horreret pectus, cum furit ira freti.
Exiguas non tot guttas, quot computat illud
Mortes ac Scyllas, mille pericla rati.
Quis numeret naufragia tristes quisque charybdes
Quae tibi nauclero praeparat orbis amor?

2. *Baiazetes Rex in cavea, denotans Fortunae inconstantiam.* Cantus:

Quam sit constans sors spectate:
Tantum constat levitate
In cavea
Risus rea
Cantavit
Monstravit
Baiazetes.

Quam micat inconstans orbis fortuna diebus
Et tantum constans in levitate sua,
Edoceat Baiazetes Rex Turcicus, olim
Victor terrarum, sed modo ludibrium.
Rara avis in cavea Rex post palatia mundi
Quae maneat te sors, haec tibi cantat avis.

2. *Damocles, cui convivanti impendet ensis.* Cantus:

Damocli impendet ensis,
Dum immergit pectus mensis —
Dapes tales
Sunt fatales,
Haec libat
His cibat
Orbis amor.

Impendet gladius Damocli inter vina sopore
Oppresso, maerens, heu! manet esca Ducem.
Talibus assuevit dapibus tractare iuventam
Orbis amor, tales sumite vosque dapes

4. *Tantalus sitiens in mediis undis et ad poma esuriens.*

Cantus:

Major sitis fit in undis
Orbe, pomis et iucundis
Cruciatur,
Cor necatur
Sapore
Dolore
Suavissimo.

Stat licet in mediis sitibundus Tantalus undis
Extensam vitant flexaque poma manum.
Ergo quid et iuvenum picto mens gaudet amore
Qui cor non satiat non satiante Deo.

5. *Reges Duces qui spretis Regnis in eremum fugerunt.*

Cantus:

Sol ludos flesse dierum
Reges vidit, pompas rerum
Conculcarunt
Et damnarunt
Honores
Decores
Voluptatis.

Non puduit coluisse Duces deserta pilosa
Et vitae comites associasse feras.
Delicias Reges Phoebus deflesse dierum
Ac lacrimis vidit luna rigasse genas.
Dulcis erant passis gemitus, convivia mensae,
Nectareus cyathus lacrima maesta fuit.

6. *Alexius contemptor orbis ad limen iacens parentum.*

Cantus:

Alexi pluris egenam
Vitam duxit quam serenam
Blandimenta
Et figmenta
Dolosa
Iocosa
Superavit.

Divitias, famam, mundum contempsit Alexi
Plus placuere patris limina quam solia.
Oscula non patris, non blandimenta dolosa,
At colaphos placuit sustinuisse genis.

7. *Iuvenes eremi cultores.* Cantus:

Tot iuvenes contempsere,
Terram quibus effluxere

Blandas mundi
Iactabundi
Momenta,
Tormenta
Vel maxima.

Vasta iuventae non domus arridebit eremus
Casto Ioanni non placuere lares.
A teneris calcarunt blandimenta parentum
Plures et placuit corde tulisse Deum.
Vobis primitias vitae non orbis amori
Suave erit ast nitido nonne litare polo?

8. *Animae damnatorum, Infernus.* Cantus:

Audi quid dicent damnati
Qui favebant voluptati
Damnatorum
Amicorum
Quis vultum
Singultum
Explicabit.

Aeternum tempus iuvenes expectat adesse
Infelix vel vos aura beata petit.
Hinc Divinus amor cingit diademate sanctos
Igne suos comites praemiat orbis amor.

9. *Ostenduntur varii status hominum, morti obnoxii.* Cantus:

Blandus orbis pictis genis
Ad quem volat mens effrenis
Pingit vultus
Et singultus
Abscondit
Et tondit
Praecordia.

Blandus amor vultu, sed quo non foedior ullus
Interius, fucat blanda colore suo.
Pergitis ad flammas lucentes orbis honori
Tenditis et stultas enecat esca feras.
Attrahit ad guttam mellis vos blanda voluptas
Ut muscae caditis papilioque volans.
Ad speciem ut pueris florentia poma reponit
Quae vix scinduntur vermibus aucta scatent.

Tandem primo ad ostensum ab amore Divino Christum Natum iuvenes illecebris orbis obdurati emolliuntur et immoti haerent in amore Divino ad saxeas Christi Nati cunas.

Amor Divinus: Si cor friget adhuc, sancto nec flagrat amore
Pectore si gelido saeva fovetur hyems,
Si teneri retrahunt anni vos Numine pulso
Et sanguis prohibet tam pia castra sequi
Bethlemicus Phoebus frigentia corda perurat,
Accendant artus pectora vestra Dei
Frigentis, teneros annos qui impendit amori
Vestro, queis pubes non nisi nata riget.
Palladiae mentem fas immutare iuventae
Virtutem studiis associare iuvet.
Numinis ad saxum Tui os allidite cunae
Saxea sint, mandat pectora natus amor.
Vincat amore puer natus praecordia dura
Exiguum forti corpus amore micat.

Iuvenes: Heu nos terra tenet caeno infundamur inani
Non sic rete feras attrahit arte sua
Non capit inspersus volucrem sic viscus alacrem
Ut iuvenum mentes illaqueare solet
Orbis. Iam caelum, iam Numina nota favete
De nostro mundi pellite corde technas.
Immutor totus.

Secundus: Nos immutamur et omnes.
Cor volat in caelum, desipit orbis amor.
Serius agnosco mundum dulce esse venenum
Divitiae Numen terra beata mihi.

Cantus: Infans blande et iucunde,
Delicate, rubicunde,
In cuius venusto ore
Nostrae vitae sunt aurorae.

Te stellae duce tranabunt
Et procellas superabunt
Mundi maris nostrae naves
Contemnentque Scyllas graves.

Qui tenellam impendisti
Aetatem orbi, sprevisti
Pompam. Ego iam honores
Sperno terrae et favores.

Vexet frigus artus meos
Infernalis ignis reos,

Dum te cerno pubem natam
Acerba bruma vexatam.

Aulam et decores sperno,
Dum praesepi natum cerno
Mundi amores valete
Caeli splendores salvete.

Non est verus amor mundi
Umbrae splendores profundi,
Solus Deus amor verus
Cordi meo est sincerus.

De Iudaeo et Christiano.

Scitis in Evangelio Iesum dixisse: „Si quis percusserit maxillam vestram, date illi alteram, ut percutiat“, scilicet ut ius talionis eradicetur.

Iudaeus iocatus cum quodam Christiano percussit illum in maxillam (i. e. impegit illi alapam) atque, ut alteram praeberet ex evangelica doctrina, admonuit. Christianus vero eum ad terram prostravit multisque verberibus affecit. Cui Iudaeus dixit: „Hoc non facis ex Evangelio!“ Ad hoc Christianus: „Feci ex glossa“ (i. e. ex explanatione doctorum ecclesiae). „Proh! — ait Iudaeus — glossa vestra, ut video, multo durior est quam textus et difficilior etiam quam legislator ipse docuerit“.

De quodam abbate.

Quidam abbas, cum cellarius e vivis excessisset, dixit ad monachos suos: „Quem ego eligam ex numero isto stultorum?“ — Cui unus ex grege: „Nonne, inquit, abbatem ante invenimus ex istis stultis?“



LUPUS ET GRUS

Ovem lupo voranti os in gulâ haeserat,
Medicum ut necesse fuerit accersi gruem,
Ea pacta pretium, penitus in gulam lupi
Collo suo immisso, os molestum sustulit.
De praemio appellante tum lupum grue,
Abi, inquit ille, abi impudens: sat praemii est,
Collum e lupi quod faucibus salvum refers.

Homines mali beneficium se existimant
Illis tribuere, in quos maleficio abstinent.



VATES

In populi coetu, medio privata canebat
Vates fata foro, et quae quemque eventa manerent.
Ecce superveniens securo nuntius illi
Exposuit, fures per apertas forte fenestras
Illius penetrasse domum, quaeque intus erat rem
Asportasse omnem, et vacuos liquisse penates.
Ille gemens, mistoque ciens suspiria fletu,
Visurus sua damna, gradu sese inde citato
Proripuit. cui tum media de plebe facetus,
Cur tu aliis, inquit, praedicere fata professus,
Non haec ipse tibi cecinisti instantia damna?
Qui sibi non sapit, hic sapiens mihi non
[erit umquam.

ETYMOLOGIAE

A teneris ungulis versamini in scholis — at scitis 'scholae' veriloquium? Non est natio Europaea, quae institutione hac careat, omnesque in eo congruunt, ut eadem voce eam designent, quamvis varie progressu temporum conformata varieque pronuntiata: nos enim dicimus *szkoła,* Germani *Schule,* Angli *school,* Francogalli *école,* Itali *scuola*... Longum esset omnes enumerare diversarum gentium voces: sed iam ex dictis videtis eandem vocem latinam 'schola' tantae nominum varietati dedisse originem.

Quid vero proprie dicit vox latina? Dubium enim movet ipsa vocis forma, cum sciamus vere Romanas voces raro admittere adspirationem *ch,* quae praeter *pulcher* vix in ulla voce latina legatur *(sepulchrum* enim est scriptio abusiva, quae fortasse debetur etymologiae populari, cum putarent esse idem quod 'haud pulchrum'): *techna, machina* sunt graeca. Ante saeculum II ante Christum natum Romani adspirationem neque in graecis vocibus admittebant: itaque ortae sunt tales defigurationes nominum ut *Poenus* (gr. *Phoenix*), *purpura* (gr. *porphyra*), *tecna* (gr. *techna*) etc. Ita et *schola* graeco debetur σχολή, quod proprium dicit 'otium': apud antiquos 'otiosi' habebantur ii, qui non vacabant operae manuali, ut philosophi et poetae. Posteris demum temporibus schola facta est institutio popularis, quae unius cuiusque cui pro educandis filiis sumptus facere licuit, pueros puellasque excipiebat. Latine institutionem dicebant 'ludum' vel 'ludum littera-

rium': vox vero docta erat 'schola'. Pueri Romani, qui in schola (ut et nos) vacabant litteris graecis, cito percipiebant dissonantiam inter originariam vocis vim et institutum quod suis temporibus designaret: nullibi enim magis iis erat enitendum quam in 'otio'. Hanc ob rem prima statim lectione ludi magister discendam iis proposuit hanc Verrii Flacci definitionem, ut illusiones aufugaret: „Scholae dictae sunt non ab otio et vacatione omni, sed quod ceteris rebus omissis vacare liberalibus studiis pueri debent".

Quam definitionem ut facto probetis, ex animo opto.

FRANCISCUS PALATA

CORNELIUS UJEJSKI, Z DYMEM POŻARÓW

in latinum versus per Franciscum Palatam Bohemum

Sanguine fumat humus, volvunt incendia flammas,
undique terribilis clamor ad astra volat:
O deus omnipotens, ululantes more procellae
imploramus opem supplice voce tuam!
Ultima pectoribus suspiria fundimus aegris,
dum matura subit tempora canities.
Psallere lingua polona tibi non novit, amara
quin laetos hymnos naenia praepediat:
Gaudia dedidicit iam dudum Lechiadum gens,
vinxerunt nostras spinea serta comas.
Aeternum veluti monumentum numinis irae
tenditur a nobis palma supina polo.

DE URBIUM ANTIQUARUM NOMINIBUS

Quis vestrum nondum de machina illa mirabili Wellsii audivit, qua facillime saecula et millennia transiliri possunt? Quae quamvis adhuc non sit reperta, multa tamen imaginationis lusu de ea prompta sunt. Nos quoque temptemus oportet illâ machinâ uti. Provehamur ergo ad alterum post Christum natum saeculum et inde mirantem, haesitantem, necopinato perterritum impetu Pausaniam periegetam rapiamus nobiscum.

En iam Leopoli stamus medio in foro.

Pausanias igitur noster officii sui non oblitus quaerit ex nobis, unde urbs nomen sumpserit, id enim semper solebat alienam advectus ad urbem. Respondemus a principe quodam Leone ita esse appellatam.

Quando vixerit vir ille, denuo rogat. Abhinc iam septem manaverunt saecula, ex quo castellum ligneum contra Tartarorum incursus fieri iussit.

Herosne certe est? Negamus.

At quid leones isti ingentes lapide exsculpti et ante curiam collocati sibi velint? Nil nisi symbolum aliquod urbis esse explanamus, perinde ac v. c. Siren Varsoviae urbis est symbolum aliaque multa.

Miratus est vehementer Graeculus; sperabat enim nos historiam, fabulam aliquam de leonibus narraturos, vel amatoriam de Leone principe fabellam, sicut assueverat in sua ipsius patria. Deceptum se esse dolet.

Nam revera Graeci si essemus, certe nobis huiusmodi fabulae multo saepius praesto essent. Graecarum enim si perquirimus urbium atque oppidorum nomina rarissime inveniemus topographica, i. e. ut loci quadam proprietate ortae sint appellationes. Saepissime vero narrabant Graeci de divina urbium origine, id quod iam eorum opinione ipso in nomine inhaerere debebat et reapse inhaerebat. En clarissima Athenae-Minervae urbs; a potentissima et ab omnibus fere Graecis culta dea est appellata. De eo quidem adhuc disceptant docti sitne oppidi nomen an deae antiquius; certe pluralis Athenarum numerus ortus est ex originario singulari, ita ut plures urbes, scilicet superior et inferior, designarentur. Ex quo patet aliquando Athenae deae urbisque nomina eadem fuisse: praestoque est suspicio deam ut 'urbis dominam' ex urbe appellatam esse. At quaestio non expedita remanet.

Athenae tamen non sunt unicum eius rei exemplum ac testimonium. Unumquodque fere oppidum, etsi fuerit parvulum castellum — eponymum (ἐπώνυμος) suum habebat heroem — hoc enim nomine nuncupantur hi heroes vel dii, a quibus derivata tradebantur oppidorum nomina. Tutiores se videlicet sentiebant talis oppidi cives, si credere poterant a deo quovis vel plerumque ab heroe urbem conditam esse sive nomen divo deberi. At unde hoc rescierunt cives? Saepe fabula ferebatur localis, vulgaris opinio, qua connectebatur oppidi nomen cum nomine herois vel dei.

Quae omnia diligenter colligebantur ab auctoribus antiquis iis, qui de singulis oppidis libellos conscribebant. Nihil, ut videmus, intererat igitur inter antiquos ac nos: perinde enim ac nostri urbium res conscribunt e. c. Papée Historiam Leopolitanam vel Jaworski, erant et antiqui scriptores, reapse permulti; tales erant v. c. Athenodorus Anchialeus, qui de Anchialo oppido disputabat, Aristocritus libri de Mileto auctor; qui Athenarum conscripserunt historiam Atthidographi vocantur. Hisce scriptoribus plura debemus. Aristoteles quoque, quem scitis plures respublicas (πολιτεία) descripsisse, in illis non raro explicationem praebet nomen oppidi attingentem; itaque v. c. Cium oppidum a Cio quodam heroe ita appellatum tradit. Eponymi nonnumquam etiam a scriptoribus illis confingebantur, quod facillime aperire licet, cum aliena et externa inspiciemus nomina, mire a Graecis ipsis explicata. Arbelus, Babylon — ut his continear exemplis — heroes dicuntur eponymi oppidorum, quamquam altera urbs a voce chaldaea *arba* ‘quattuor’ et *ilu* ‘dii’ nominata est, altera vero notissima urbs a vocibus item chaldaeis *bab* ‘porta’ et *ilun* ‘deorum’ est nuncupata. Moris igitur erat antiquorum, ut demonstravi, urbium origines quam splendidissime divinis exornare. Surridebat quidem hic et alter rerum scriptor, postremis praesertim temporibus, antiquitate iamiam exeunte; Livius itaque indulgere simul videtur haec inter alia locutus: „Datur haec venia a n t i q u i t a t i, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora

faciat". Idemque Pausaniae magnas moverunt dubitationes fabulae de Eleusine heroe Mercurii filio ab Eleusiniis narratae; neque solum Eleusiniae traditionis tam severum se praebet criticum sed etiam Corinthiae. Nullos enim praeter Corinthios Iovis filium putasse Corinthum, a quo appellata sit urbs, asserit.

Paucis exemplis exponemus quibuscum fabulis origines urbium ac nomina praesertim coniuncta fuerint. Praeter igitur conditores oppidorum — graece κτίσται — accidit nonnumquam, ut heros quidam in memoriam comitis vel amici sui condiderit urbem et non a se, sed a nomine comitis illius nomen urbi indiderit. Saepe hoc Herculi evenit: itaque Abdera (τὰ Ἄβδηρα) notam stolidorum patriam a comitis sui Abderi, quem inconsulto necavit, appellavit nomine. Item Olynthum et Crotonem inde vocatas esse urbes, quod illic ab Hercule interfecti essent Olynthus et Croton. Aliam habetis narratiunculam ab Ovidio quoque tractatam de Mileto, quem Minos senectute gravidus

> pertimuit, credensque suis insurgere regnis
> haud tamen est patriis arcere penatibus ausus.

Sponte igitur audimus fugisse Miletum, iuvenem pulcherrimum et nomine suo urbem appellavisse in „Aside terra" conditam.

Nonnumquam etymologiae ope conficti videntur heroes eponymi. Traditur itaque v. c. oppidum exstitisse olim Bolina ad flumen quoque huius nominis situm. Nomen autem — si mythographo fides — Bolina ab eo usurpatum est, quod virgo quaedam, Bo-

lina appellata, in hoc se deiecerit flumen, cum eam persequeretur Apollo. Iam qui vel paululum de Graecis audiverunt vocibus, videbunt in nomine illo radicem βολ- inesse (v. c. βολή) quae cum βάλλειν voce coniungitur; eoque facillime tota de morte virginis fabula explicatur. Mortem ceterum persaepe occasionem praebuisse eponymicae denominationi multa ostendunt exempla quae silentio praetereo.

Nonnulla fortasse dici possunt de eo, quomodo inducti essent Graeci ut eponymos istos constituerent. Ante aetatem Alexandrinam rarissima inveniuntur hac de re testimonia, Homerus scilicet et tragici, quamquam non desunt apud illos exempla; itaque Aeschylus v. c. de Delpho heroe loquitur, quem invocat (*Eum.* v. 16). Posterioribus demum temporibus increscit vehementer numerus eponymorum istorum; at non solum mythici, sed etiam historici reperiebantur iam eponymi: Alexander Magnus a suo nomine plus XX urbibus nomen indiderat, quarum clarissima Aegyptia illa innotuit Alexandria. Poetae igitur contemporanei morem hunc imitati suis in poematis de illis mythicis eponymis notitias tradiderunt.

Restat ut vobis etiam conformationes nominum explicem. Erant haec nomina omnino varia; genera tamen quaedam discerni possunt. Habetis igitur nomina quae idem sonant atque nomina heroum illorum eponymorum quos tradebant antiqui: Miletus, Croton, Olynthus, Ephesus, Eleusis, Dodone, Epidaurus, Calydon, Corinthus, Cyzicus, Orchomenus: haec enim nomina quoque h e r o u m nomina, quamvis

maxime miremini. Postea exhibentur nomina plurali conficta numero: Abdera (τὰ Ἄβδηρα), Athenae, Amyclae, Delphi, Eleutherae, Erythrae, Leuctra. Deinde sunt heroes quibus mutatur genus: sin igitur Boebus est heros, oppidum Boebe appellatur, Dicaeus in Dicaea mutatur. Denique nomina oppidorum exhibentur mutata solummodo declinatione: v. c. Ascalus heros est, at urbs Ἀσκαλὼν vocatur, Marathus heros, oppidum autem Marathon.

Ova tria non versa in quinque.

Filius rustici studiorum cursu finito, saepius de scientia a parente tentatus respondit tempus doctrinae suae declarandae nondum adesse. Accidit, ut parentibus una cum filio mensae accumbentibus tria ova apponerentur. „Nunc, inquit filius, occasio specimen doctrinae meae exigit; pater mi, ego demonstrabo hic quinque ova esse, etsi tria tantum conspiciuntur“. Ad hoc parens: „Ecquo modo?“ — „Ubi tria sunt, ibi et duo sunt. Iam subsumemus: duo et tria faciunt quinque. Ergo hic, cum tria sint et duo, erunt quinque“. Parens concedebat totum dicens: „Bene est, fili mi. Laudo acumen tuum. Ego ex his quinque ovis duo comedam, unum matri dabo; reliqua duo tu sume“.

Medico modice utendum est.

Si tarde cupis esse senex, utaris oportet
vel modico medice vel medico modice.

II. VER SACRUM

GAUDEAMUS POLONORUM

Gaudeamus iugiter
Iuvenes Poloni!
Dirae qui nos servituti
Dederant, sunt diminuti
Tyrannorum throni.

Ceciderunt compedes
Matris nostrae piae:
Resurrexit dolorosa
Triumphatrix gloriosa —
Hac laetemur die.

Convolarunt filii
Undique terrarum:
Osculatur frater fratrem,
Amplexantur omnes Matrem,
Nam finis curarum.

Eia, Mater, audi nos,
Quae tibi iuramus:
Tuo nos dicamus iuri
Libens pro Te morituri —
Te solam amamus!

Pereat qui prodit Te,
Te calumniatur!
Pereat qui Te lacessit,
Malam Tibi rem facessit,
Inferis tradatur!

Vivant nostri socii
Fortes et sinceri!
Vivat, vivat gens Gallorum.
Vivant Angli et Slavorum
Qui sunt fratres veri!

De medico quodam.

Romanus quidam medicus procul ibat Athenas,
ut graece Latio disceret ore loqui.
Prima novae linguae qui cum praecepta teneret,
iam rude grammatices et superasset opus,
Maeonium vatem sibi mox proponit Homerum,
talia sunt cuius carmina scripta libro:
„Iram Pelidae memora mihi, Diva, superbi,
pestiferam Graecis quae mala multa dedit
et fortes animas sub tristia Tartara misit
heroum, quas nunc pallidus Orcus habet“.
Scilicet haec medicus cum primum carmine legit,
edidit insigni dicta faceta ioco:
„Si meruit laudis tantum bellator Achilles
haecque suae famae gloria magna fuit,
quod Stygio multas animas Acheronte subegit,
pro Danais quando fortiter arma tulit,
me reor et simili celebrabit Graecia laude,
ars mea nam quiddam grandius instar habet:
non quia sic gladiis, rigido nec denique ferro
est unquam caedes ulla peracta mihi —
herbis simplicibus tantum curator, ad Orcum
multorum medica corpora mitto manu“.

III. SATURA LANX

De simia.

Quidam doctor medicus aegrotabat, ita ut de eius salute desperarent. Quod famuli eius èt famulae considerantes, quod quilibet potuit, ad se diripuit. Hoc autem simia videns, quae apud dominum erat (ut est imitatrix omnium rerum) accepto capitio, quo insigni doctores utebantur, induit capiti: unde dominus in risum est effusus atque convaluit.

De medico.

Medicus venit ad quendam principem seque omnis medicinae artificem esse egregium pollicetur. Cui princeps iocans: „Non recipio quemquam, inquit, nisi triginta homines prius occiderit". Ad hoc medicus: „Non longe abest, nam undetriginta bene nunc tumulavi". „Non es ergo idoneus, respondit princeps, timeo enim, ne futurus sim trigesimus, quem tumulo condas".

De Arcadibus et Atheniensibus.

Cum in proelio contra Persas contentio incidisset inter Arcades et Athenienses, utra gens priore loco pugnaret ad Plataeas, laudantur Athenienses, quod in illo communi periculo patriae maluerunt cedere de iure suo, cum dicerent: „Ubicunque collocati fuerimus, viros fortes nos praebebimus".

De carbonario.

Princeps quidam potentissimus grandem thesaurum amisit trium candidatorum suorum atque primorum perfidia furtoque, et maxima praemia proposuit illi, qui sibi ablatum indicaret thesaurum. Habitabat autem in vicinis nemoribus carbonarius quidam, summa omnium rerum penuria laborans, qui cum talia audisset, cogitavit intra se egestatem suam, atque vulgare proverbium Suevorum, quo dici solet: *Bono prandio vescire, et pensandum esse patibulo,* hoc est non detrectandam esse suspensionem pauperibus propter bonum prandium. Quare isto prandio paupertatem finire constituens, accessit principem, seque — detur modo triduum pro deliberatione — thesaurum indicaturum pollicetur. Princeps intra conclave carbonarium inclusum lautissime epulari mandavit. Prima autem nocte, cum iam satur esset, dixit: „Deus bene vertat (uti nostri dicere solent) iam unus accessit!“ credens unam diem abisse. Stabat autem unus ex furibus ante conclave, exploraturus quid iste faceret: atque cum hoc audisset, mox ad suos rediens narravit quae audierat. Altera nocte accessit alius percepturus, quid carbonarius ageret: et cum carbonarius more solito laute cenasset, dixit, ut ante: „Secundus accessit!“ Fur ille mox ad suos audita rettulit. Et cum tertius tertia nocte venisset, dixit: „Tertius et ultimus adest!“ Unde illi tres communiter carbonarium accedentes, atque thesaurum deferentes maximis muneribus donatum rogant, ne se deferat thesaurumque principi inventum restituat.

Quem ille cum postridie principi afferret, ditatus est ab eo largissime, et usque in finem vitae suae vatis honore dignatus est.

AENIGMATA

1. Arithmographon

Septem animalium nomina latina in numerorum loco pone: iam series media, crucibus signata, novum animalis, olim domestici nomen exhibebit:

	1	2	X	2	3	
	4	5	X	6	1	
	6	7	X	6	1	
	8	6	X	7	3	
9	3	10	X	8	6	1
	11	4	X	2	1	
12	3	8	X	4	13	3

SIGFRIDUS WOŁEK,
disc. gymn. Catoviciani

2. Celebrem Horatii elicies sententiam, si, ut in scacchiorum ludo usu venit, litteras collegeris:

n	t	o	a	l
r	r	i	s	m
b	i	u	a	s
d	t	u	l	i

SIGISMUNDUS ASARABOWSKI,
cl. VIII gymn. Çamioncani Strum.

Tribus ex his qui bonas aenigmatum solutiones miserint, sortibus missis praemia distribuentur.

IMPRESSUM IN TYPOGRAPHIA SCIENTIFICA, LEOPOLI, VIA ARMENIORUM 8
DIRIGEBAT R. GANSZYNIEC, LEOPOLI, AD VIAM ANDREAE POTOCKI 20

Palaestra prodit semel in mense, exceptis Iulio et Augusto. — Constat 35 grossis
Opłata pocztowa opłacona ryczałtem. — Grudzień — PKO Warszawa 154.894